



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio V. De habitu fidei, & ejus subjecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Quæres 4. utrum Christiano liceat per simulationem adorare idola, vel thus illis adolere?

R. non licere, ut prob. 1. Ex Apostolo 2. Cor. cap. 6. ubi sic ait. *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate?* Quibus verbis prohibetur omnis communicatio cum infidelibus, quæ infidelibus. Sed qui etiam per simulationem idola adorant, aut eis thus adolet, communicant cum infidelibus qua infidelibus. 2. Ex innumeris Martyribus, qui gravissima tormenta & mortem acerbissimam pati maluerunt, quam etiam per simulationem idola adorare, quia hoc esse graviter illicitum senserunt. 3. Ex consuetudine primitivæ Ecclesiæ, in qua fideles tanto studio vitabant ritus externos Gentilium, & quæ tam severe animadvertebantur eos, qui etiam per simulationem tantum idola adorassent. 4. Ratione: quia qui per simulationem adorant idola, facto ostendit se esse idolatram, & negat se esse Christianum. Quod utrumque graviter malum est.

Dices. Naaman Syrus per simulationem adorando in templo Remmon cum Rege suo, non peccabat ut aperte colligitur ex lib. 4. Regum, cap. 5. R. Naaman Syrus post conversionem suam à gentilitismo, nequidem per simulationem idola adorasse. Pro quo nota. Mos erat Regibus Syriæ, ut sive in foro, sive in templo, humero alterius inniterentur. Unde famulus, cujus humero innitebantur, tenebatur ex officio hoc illis præstare obsequium, ubicumque essent, sive in foro, sive in templo, ac proinde stare, vel ambulare, vel genuflectere, si rex staret, vel ambularet, vel genuflecteret.

Itaque cum Naaman Syrus esset ille, cujus humero innitebatur Rex, quando prodibat in publicum, vel adibat templum Remmon, & hoc ex officio præstare obsequium Regi suo, ex officio tenebatur stare, vel ambulare, vel genuflectere, cum Rex stabat, vel ambularet, vel genuflecteret, ubicumque, sive in foro, sive in templo staret, vel ambularet, vel genuflecteret. Rege igitur in templo Remmon genuflectente, genuflectebat Naaman, sed magno cum discrimine: Rex enim genuflectebat ante idolum, ut illud adoraret, Naaman verò ut debitum obsequium Regi præstaret. Unde genuflexio Regis fiebat intuitu religionis, & genuflexio Naaman intuitu obsequii civilis; proindeque genuflexio Regis erat actus religionis, & genuflexio Naaman obsequium civile, debitum Regi, & licite præstitum, quia & ipsi Regi & aliis adstantibus satis notum erat Naaman non genuflectere, nisi obsequii civilis causa, & ad fungendum officio suo præsertim si publicum erat illum jam Deum Judæorum colere. Unde Rex genuflectendo peccabat, Naaman verò non.

At inquit. Jehu lib. 4. Reg. cap. 10. non peccavit simulando se velle sacrificare idolo Baal, ut omnes ejus Sacerdotes occideret: nam ob factum laudatur à Deo. R. Jehu peccasse simulando se velle sacrificare idolo Baal, neque ob hanc simulationem laudatum, fuisse à Deo, sed quoddam Achab develisset.

Quæres ultim. utrum licitum sit uti vestibus infidelium.

R. illicitum esse uti vestibus infidelium, specialiter destinatis ad professionem vel exercitium falsæ religionis: nam qui uteretur, falsam religionem facto profiteretur, & ita facto fidem suam negaret. Propter eandem rationem videtur nullo modo licitum esse, etiam ad vitandam mortem uti veste infidelibus propria eorumque ab aliis sectis distinctiva, qualis est v. g. thobalia Turcica: nam qui gestat vestem propriam alicujus sectæ, & illius ab omnia alia secta distinctivam, videtur facto profiteri se ad sectam illam pertinere: sic v. g. qui in Turcarum ditione gestat thobaliam Turcicam, videtur facto profiteri se esse Turcam, & consequenter videtur profiteri se esse infidelem, quoddam est illicitum.

Multi tamen sunt in opposita sententia, quam judicant esse probabiliorē, & docent Christianum in terris infidelium degentem, ex gravi causa, put

Simonne Theol. Tom. II.

tà ad servandam vitam, posse assumere vestem infidelium propriam, & eorum distinctivam ab aliis sectis, purè gestare thobaliam Turcicam in Turcia, modo non intendat simulare se esse infidelem, sed solum religionem suam occultare, eo tempore, & loco, quo non tenetur eam profiteri; quia, inquit, non mentitur; & vestis illa, qua utitur; non est per se propriè, & directè signum potestativum falsæ religionis.

DISPUTATIO V.

De habitu Fidei, & ejus subiecto.

ARTICULUS I.

Utrum detur habitus fidei.

RESPONSIO I.

Datur fidei habitus naturalis & acquisitus. *Prob.* experientia: nam fideles crebrè & intensè exercentes actus fidei divinæ, magnam credendi facilitatem acquirunt. Atqui per habitum fidei naturalem & acquisitum intelligimus hanc facilitatem. Ergo, &c. Ratio à priori est, quia potentia naturalis acquirit habitus se exercendo. Atqui potentia naturalis tam exercet se per actus supernaturales, quales sunt actus fidei divinæ, quam per actus naturales; tam enim impendit se actibus supernaturalibus quam naturalibus. Ergo, &c.

Dices. Habitus naturalis non potest inclinare potentiam naturalem ad actus supernaturales. Ergo implicat fidei habitus naturalis & acquisitus. R. non posse, si potentia naturalis non eleveatur per principium supernaturale; at posse, si elevatur: nam potentia naturalis elevata facilius exercet actus supernaturales cum habitu naturali, quam sine illo. *Nota.* Cum potentia naturalis elevatur, elevatur etiam habitus naturalis & acquisitus, quem habet. Unde sicut potentia naturalis elevata potest producere actus supernaturales, ita habitus naturalis elevatus potest inclinare ad actus supernaturales.

RESPONSIO II.

Datur etiam in intellectu habitus fidei per se infusus & supernaturalis.

Prob. Ex Conc. Trident. sess. 6. ubi postquam cap. 6. inter dispositiones ad justificationem prærequiritas recensuit actum fidei divinæ, sic exorditur caput 7. *Hanc dispositionem justificationem ipsa consequitur, quæ est sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Quid autem per hæc dona intelligat, exponitur inferius eodem capite his verbis: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem & charitatem.* Quæ verba intelligi non possunt, nisi de fide, spe, & charitate habituali.

Ratio autem est, quia conveniens est intellectum compleri per principium intrinsecum & permanens, ut sic sit intrinsecè & permanenter habilis ad eliciendos actus fidei divinæ, & ita connaturalius actus illos eliciat. Dixi, connaturalius, quia intellectus potest elicere actus fidei divinæ sine habitu infuso & supernaturali, cum solo concursu extraordinario, sicut primus saltem actus fidei divinæ elicitur ab homine, qui ad fidem convertitur.

RESPONSIO III.

Præter habitum illum intellectualem, per se infusum & supernaturalem, quo intellectus immediatè & intrinsecè completur ad eliciendum actum fidei divinæ, datur etiam in voluntate habitus per se infusus & supernaturalis, ad eliciendum actum pie credulitatis, seu imperii, quo intellectus à voluntate efficaciter applicatur ad actum fidei.

M 4 *Prob.*

Prob. Nam, ut ex Tridentino probatum est, intellectus immediatè perficitur per principium intrinsecum & permanens, ut sit intrinsecè & permanentè habilis ad actus fidei, & eos connaturaliùs eliciat. Ergo pariter voluntas immediatè completur per principium intrinsecum & permanens, ut sit intrinsecè & permanentè habilis ad piam credulitatem, & eam connaturaliùs eliciat: omnino enim dicendum est Deum, cuius perfecta sunt opera, non minùs velle, ut pia credulitas modo perfectò & connaturali procedat à voluntate, quàm vult ipsum actum credendi modo perfectò & connaturali ab intellectu procedere. Hic autem habitus est specialis virtus, ab omnibus aliis distincta, quia spectat honestatem specialem, & diversam ab honestate, quam spectant aliae virtutes, videlicet honestatem, quæ relictur in eo, quod est credere Deo firmissimè præcisè propter testimonium ejus, quamvis in se obscurum, nec præviè cognitum per motiva creditatis evidentè ea evidentiâ, quæ tantam firmitatem assensus mereatur.

Dices. Hic habitus piæ credulitatis vel est theologicus, vel moralis. Neutrum dici potest. Ergo, &c. R. neg. min. & dico non esse virtutem theologicam, sed moralem, quia non habet pro objecto formali etiam partiali perfectionem divinam: sed habet pro objecto formali totam solam honestatem relucens in eo quod est captivare intellectum in obsequium fidei, & submittere se auctoritati Dei loquentis, modo supra explicato.

RESPONSIO IV.

Præter habitum fidei & habitum piæ credulitatis per se infusus & supernaturales, datur etiam in intellectu habitus per se infusus & supernaturalis ad eliciendum iudicium præcisè practicum supernaturale, quo immediatè dirigitur pius credendi affectus.

Prob. Nam sicut intellectus habitu fidei, & voluntas habitu piæ credulitatis instruuntur, ut hæc actum piæ credulitatis, ille verò actum fidei modo perfectò & connaturali eliciat; ita ipse intellectus dici debet instrui habitu, ad eliciendum iudicium supernaturale, directivum piæ credulitatis, modo perfectò & connaturali; tam enim conveniens est hoc iudicium modo perfectò & connaturali elici, quàm pius credendi affectus, & ipsum actum credendi.

Hic autem habitus est virtus specialis prudentiæ, cuius objectum adequatum est honestas, vel debitum submittendi se auctoritati Dei revelantis, & adhærendi firmissimè objecto revelato præcisè propter primam veritatem revelantem. Unde differt à prudentia generali, quæ virtutum moralium directiva est, & cum illis destruitur, sicut cum illis infunditur: cum è contra habitus ille prudentiæ specialis tandiu maneat, quandiu manet habitus fidei, & sic non destruitur, sicut ipse habitus fidei, nisi per peccatum infidelitatis, virtutibus moralibus, cum prudentia generali illatum directiva, per quodlibet mortale peccatum pereuntibus; excepto tamen habitu piæ credulitatis, qui etiam tandiu conservatur, quandiu conservatur habitus fidei.

Quæres, utrùm habitus fidei sit virtus theologica?

R. 1. habitum fidei esse virtutem intellectualem: nam perficit & rectè disponit intellectum; cum sit essentialiter determinatus ad rectam operationem, nempe ad assensum fidei divinæ, quæ essentialiter vera est, quia ei subesse fallum implicat.

R. 2. habitum fidei esse virtutem theologicam: quia habitus ille dicitur theologicus, qui habet Deum pro objecto formali, atque etiam pro materiali principali. Atqui talis est habitus fidei: nam habet pro objecto formali Deum, ut est prima veritas revelans, & pro materiali principali eundem Deum, ejusque perfectiones: nam perfectiones divinæ propter se creduntur, & cætera propter ipsas.

At inquit. Religio versatur circa Deum, & tamen non est virtus theologica. R. Religionem non esse virtutem theologicam, quia non versatur directè & immediatè circa Deum, ut objectum formale, &

materiale principale, sicut versantur fides, spes & charitas: versatur enim directè & immediatè circum cultum Dei exhibendum, tanquam objectum materiale, & circa honestatem, quæ est in exhibendo tali cultu, tanquam objectum formale.

ARTICULUS II.

Utrùm habitus fidei aliquando infundatur prius tempore, quàm habitus charitatis.

RESPONSIO.

Habitus fidei nunquam infunditur prius tempore, quàm habitus charitatis.

Prob. 1. Ex Trident. à quo assertio nostra differt traditur sess. 6. cap. 7. his verbis: *In ipsa justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem & charitatem.* Quæ intelligenda sunt de fide, spe, & charitate habituali, & de justificatione hominis infidelis; nam in justificatione peccatorum fidelium non infunditur fides habitualis, sed prius infusa retinetur.

Prob. 2. Ex S. Thoma, qui sic ait 1. 2. q. 62. a. 4. in O. *Ordine generationis in uno & eodem, fides præcedit spem, & spes charitatem secundum actus; nam habitus simul infunduntur.* Et 3. p. q. 85. a. 6. *In virtutibus non attenditur ordo temporis quantum ad habitus: quia omnes simul incipiunt esse in anima. Sed dicitur una earum esse prior altera ordine naturæ, quæ consideratur ex ordine actuum.*

Ex dictis collige, habitum prudentiæ specialis & habitum piæ credulitatis nunquam infundi prius tempore, quàm charitas infundatur: quia cum habitu fidei, cui subserviunt, & quocum moraliter constituunt unum totalem habitum, infunduntur; sicut cum eo destruantur post peccatum infidelitatis. Unde nullus habitus supernaturalis nobis infunditur ante habitum charitatis; quamvis aliqui in nobis conserventur sine charitate, nisi charitas amittatur per peccatum infidelitatis. Quod si charitas amittitur per peccatum desperationis, perit quidem habitus spei cum habitu charitatis, sed adhuc remanet habitus fidei cum habitibus sibi subservientibus, nempe habitu prudentiæ specialis, & habitu piæ credulitatis.

Obj. Baptismus producit effectum ad quem non reperit obicem; licet non producat alios, quos potest producere, quos tamen non producit, quia ad illos reperit obicem. Atqui in eo qui habet fidem actualem sine contritione, non est obex respectu fidei habitualis, licet sit respectu gratiæ & charitatis. Ergo in illo baptismus producit fidem habitualement, quamvis non producat in eo gratiam & charitatem habitualement, & consequenter habitus fidei producit prius tempore, quàm habitus charitatis.

R. dist. maj. baptismus producit effectum, ad quem non reperit obicem, neque positivum neque negativum; C. Ad quem non reperit obicem positivum, sed reperit negativum, N. maj. At in adulto habente fidem actualem sine contritione, cum tamen habeat mortalia personalia, baptismus non reperit quidem obicem positivum ad fidem habitualement, sed reperit negativum, nempe carentiam dispositionis prærequiritæ ad infusionem charitatis habitualis, sine qua tamen, non quidem ex natura rei, sed ex ordinatione divina infundi non potest fides habitualis, ut apertè tradi videtur à Tridentino. Unde baptismus in casu proposito producit solum characterem, quia ad solum characterem nullum planè, hoc est, neque positivum, neque negativum obicem reperit.

ARTICULUS III.

In quibus reperitur habitus fidei.

RESPONSIO. I.

Habitus fidei non est in beatis.

Prob. Nam habitus fidei esset otiosus in beatis. Ergo non reperitur in illis. Consequentia patet, quia

quia habitus fidei non infunditur, nec conservatur nisi propter actum fidei. *Prob. ant.* Beati non eliciunt actus fidei. Ergo habitus fidei esset otiosus in illis. *Prob. ant. 1.* Ex Apostolo 1. Cor. cap. 13. ubi sic ait: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetauramus: Cum autem venerit id, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum & in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Unde statim subiicit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas* (supple, quæ nunquam excidit, sed permanet in patria.)

2. Ex S. Augustino lib. 14. de Trinit. cap. 2. *Necque jam fides erit (in cælo) qua credantur que non videntur, sed species, qua videantur que credebantur.*

3. Ratione. Quia cognitio obscura, qualis est fides divina, non convenit statui comprehensoris: imò impossibile est beatos assentiri assensu libero & obscuro propter autoritatem Dei loquentis. Ergo impossibile est illos habere fidem divinam. *Prob. ant.* Nam beati clarè & intuitivè vident veritatem & revelationem divinam in se. Atqui veritas & revelatio divina clarè & intuitivè vise in se, non possunt esse objectum formale assensus liberi & obscuri: semper enim rapiunt & determinant intellectum ad assensum evidentem, & quidem sibi proportionatum, & consequenter appetitivè & intensivè certissimum. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Habitus fidei non est in damnatis.

Prob. Ibi non est habitus fidei, ubi non est, nec potest esse actus fidei, hoc est, assensus liber, obsecutus & honestus, quo intellectus firmiter adhæret alicui veritati præcisè propter veracitatem & revelationem divinam, ex imperio voluntatis efficaciter volentis se submittere auctoritati divinæ. Atqui nec est, nec esse potest talis assensus in damnatis, tum quia non possunt habere pium affectum se submittendi auctoritati divinæ, cum habeant voluntatem in malo obfirmatam; tum quia carent omni auxilio gratiæ, sine qua tamen nullus intellectus ulli veritati adhæreret potest, præsertim firmiter, præcisè propter revelationem & veracitatem divinam in se obscuras. Ergo, &c.

Obj. Iacobus cap. 2. Attribuit fidem dæmonibus: nam sic ait: *Tu credis, quia unus est Deus: bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt.* In quæverba hæc scribit Augustinus libro de fide & operibus cap. 14. *Iacobus tam vehementer infestus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, ut illos etiam dæmonibus compareret.* Item fides non amittitur, nisi per peccatum infidelitatis. At multi sunt damnati, qui nullum habuerunt peccatum infidelitatis in via. Ergo illi saltem retinent habitum fidei. Item debet esse aliquod discrimen inter fideles & infideles damnatos. At nullum est, nisi maneat habitus fidei in iis, qui fideles fuerunt. Ergo, &c.

Resp. ad 1. Cum S. Thomas, Apostolum attribueret dæmonibus non fidem propriè dictam, de qua hic agitur, & quæ est assensus liber, obsecutus, honestus, supernaturalis, sed solum fidem quandam, improprie dictam, quæ nihil est, quam actus naturalis, evidens, necessarius, quo evidenter & necessariò iudicant doctrinam christianam esse veram; & à Deo revelatam.

Resp. ad 2. Habitum fidei non amitti in hac vita, nisi per peccatum infidelitatis; secus in altera, in qua per subtractionem influxus conservativi, destruitur in beatis, quia non indigent; & in damnatis, quia indigni sunt, & exciderunt omni spe beatitudinis, resurrectionis spiritualis, & reconciliationis cum Deo assequendæ, propter quas tantum, vi præsentis providentiæ, habitus fidei relinquuntur fidelibus peccatoribus.

Resp. ad 3. Fideles damnatos sufficienter discerni

ab aliis per characterem baptismi, quem ad confusionem, non ad ornamentum retinebunt.

RESPONSIO III.

Habitus fidei fuit in Angelis viatoribus, & in homine innocente. Ita S. Thomas quæst. 5. art. 1.

Prob. Nam in Angelis viatoribus, & homine innocente, fuit actus fidei. Ergo & habitus. *Prob. ant.* Nam 1. ut ait S. Thomas in O. Sed contra, *Angelus & homo in sua prima conditione erant in statu accedendi ad Deum. Ergo fide indigebant.* Ut enim ait Apostolus Hebr. cap. 11. *Oportet accedentem ad Deum credere quia est, & inquirentibus se remuneratori sit.*

2. Ut dicit idem S. Doctor in O. fuit in Angelo viatore & homine innocente inchoatio quædam beatitudinis, ad quam erant à Deo ordinati. Atqui hæc inchoatio consistebat ex parte voluntatis in spe & charitate, & ex parte intellectus, in fide. Ergo non solum spem & charitatem, sed etiam fidem habuerunt.

3. Si fidem non habuerunt, certè quia non potuerunt. At hoc dici non potest: nam non habuerunt veracitatis & revelationis evidentiam simplicem in se, sed ad summum in alio, nempe in motivis credibilitatis, & ita revelatio primæ veritatis fuit illis obscura secundum se, proindeque potuerunt ex pia credulitate actu libero & obscuro firmiter adhæreret revelationi primæ veritatis immediatè & propter se, & propter revelationem primæ veritatis sic creditam, firmiter adhæreret veritatibus revelatis; quod est credere fide divina.

RESPONSIO IV.

Habitus fidei est in animabus Purgatorii.

Prob. Quia animæ Purgatorii sunt adhuc in via salutis, & ad patriam tendunt, ad quam nondum pervenerunt, & consequenter nondum acceperunt id quod perfectum est, proindeque in illis nondum evacuari debet id quod ex parte est; & sic fides, seu cognitio obscura veritatum supernaturalium non repugnat illarum statui.

Præterea, nondum primam veritatem revelantem vident clarè & intuitivè in se; & consequenter possunt assensu libero & obscuro primæ veritati adhæreret immediatè. Ergo possunt credere fide divina, & ex prævia cognitione fidei divinæ diligere Deum, & beatitudinem desiderare. Ergo habent habitum fidei, quo intrinsecè, & permanenter instruuntur ad credendum.

RESPONSIO V.

In hac vita habitus fidei est in omnibus fidelibus iustificatis; imò & in iis omnibus peccatoribus, qui è statu gratiæ per peccatum mortale, à peccato infidelitatis diversum, exciderunt.

Prob. 1. pars. Quia, ut docet Tridentin. sess. 6. cap. 7. *iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum; quæ dona, ut inferius exponit eodem capit. eadem Synodus, consistunt saltem in habitibus fidei, spei & charitatis.*

Ratio autem est, quia esse iustum, præter puritatem ab omni labe mortalis peccati, dicit saltem intrinsecam & permanentem habilitatem ad exercendos actus divini ordinis, qui sunt actus fidei, spei & charitatis. Atqui hæc intrinseca & permanens habilitas consistit in habitibus per se infusis & supernaturalibus fidei, spei & charitatis. Ergo omnes iusti, præter puritatem ab omni labe peccati mortalis, habent habitus per se infusos & supernaturales fidei, spei & charitatis.

Prob. 2. pars. Ex eodem Concil. Trident. eadem sess. cap. 15. ubi sic ait: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittitur.*

amittitur fides, acceptam justificationis gratiam amittit. Ex quibus duo habemus, charitatem seu gratiam sanctificantem amitti per quodlibet peccatum mortale; habitalem verò fidem per solum peccatum infidelitatis. Ergo, &c.

At inquit. Peccator per quodlibet peccatum mortale amittit cum charitate virtutes morales. Ergo & fidem habitalem. *Resp. neg. conseq.* Ratio negandi est, quia licet peccator per quodlibet peccatum mortale tam mereatur privari fide habituali, quam virtutibus moralibus, tamen quia fides habitualis vi præsens providentiæ est principium radicale resurrectionis spiritualis, & reconciliationis cum Deo, Deus conservat illam in peccatore, quandiu vivit, & est bene affectus erga veritatem & revelationem divinam; seu quandiu vivit, & non est totaliter aversus à Deo per peccatum infidelitatis.

At inquit. Fides in peccatore est mortua. Ergo non est magis vera fides, quam homo mortuus est verus homo. *Resp. neg. conseq.* Disparitas est, quia homo vivus est intrinsecè & per formam sibi essentialem: unde vel vivit, vel non est. At fides non est viva nisi accidentaliter, & per denominationem extrinsecam, petitam à charitate, non solum ut dignificante, sed etiam ut referente ad finem suum, nempe bonum divinum, actus fidei, & ita constituyente fidem habitalem in esse vivæ & perfectæ virtutis, hoc est, in esse virtutis valentis ad actus de condigno meritorios vitæ æternæ.

Itaque fides habitualis, semper manens vera fides, modò viva est, modò mortua; viva quidem, cum valet ad actus meritorios vitæ æternæ; mortua verò, cum non valet; viva, quando conjuncta est, mortua, quando non est conjuncta cum charitate dignificante actus ejus, illosque ad finem suum, nempe ad bonum Dei ordinante. At semper, etiam cum mortua est, manet vera fides, quia semper est principium intrinsecè & permanentè complens intellectum ad assentiendum firmissimè veritatibus revelatis, propter revelationem divinam.

R E S P O N S I O VI.

Habitus fidei non manet in hæreticis formaliter.

Prob. Ex Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 15. verbis supra relatis, ubi dicitur non solum charitatem, sed etiam fidem habitalem amitti per peccatum infidelitatis. Ratio est, quia actus infidelitatis formalis habet moralem oppositionem specialem cum habitu fidei: habet enim malitiam formalem specialem, directè oppositam honestati fidei. Ergo reddit hominem formaliter hæreticum, & specialiter indignum habitu fidei. Ergo convenienter amittitur habitus fidei per actum infidelitatis formalis; quamvis propter nullum aliud mortale peccatum amittatur, non quòd non possit meritò amitti per quodlibet peccatum mortale, sed quia Deus non vult illo privare peccatorem, quandiu non est illo specialiter indignus per formalem infidelitatem, per quam malè afficitur ad veritatem divinam, & totaliter à Deo avertitur, ut supra dictum est.

Præterea, habitus fidei datur & conservatur à Deo in homine ad exercendos actus fidei perfectæ. Atqui homo formaliter hæreticus non potest exercere actus fidei perfectæ. Ergo meritò privatur habitu infuso fidei, si antea illum habuit. Major est certa: nam si cur habitus charitatis datur & conservatur à Deo in homine, ad diligendum Deum super omnia propter se; ita & habitus fidei datur & conservatur à Deo in homine ad credendum Deo super omnia & ex parte intellectus & ex parte voluntatis, hoc est, ad assentiendum rebus à Deo revelatis assensu appetitivè certissimo propter revelationem & veracitatem divinam, ex generali, pleno & absoluto affectu se submittendi authoritati divinæ in omnibus, id est, credendi quamlibet veritatem firmissimè propter authoritatem Dei loquentis, quotiescumque proponitur sufficienter ad credendum.

Prob. min. Nam qualibet infidelitas formalis arguitur contradiçtoria est omni actui fidei perfectæ: omnis enim actus fidei perfectæ dicitur, ex parte voluntatis, ut patet ex modò dictis, generalem, plenum & absolutum affectum se submittendi in omnibus authoritati divinæ, sufficienter propositæ: infidelitas verò formalis dicitur ex parte voluntatis nolitionem submittendi se in omnibus authoritati divinæ, quamvis sufficienter propositæ: homo enim est formaliter infidelis, saltem quia non vult credere veritatem aliquam revelatam, quamvis sufficienter propositam ut revelatam, & consequenter saltem quia non vult se submittere authoritati divinæ, quamvis sufficienter propositæ, circa aliquam veritatem particularem, propter specialem difficultatem credendi, vel quamcumque aliam rationem. Ergo, &c.

Obj. 1. Homo formaliter hæreticus non vult credere veritatem revelatam, circa quam errat, non quia negat summam infallibilitatem revelationis divinæ, sed quia veritatem illam revelatam, quam non vult credere, non agnoscit esse revelatam, sic, ut si illam esse revelatam agnosceret, vellent illam credere, & libentissimè crederet firmissimè propter summam infallibilitatem revelationis divinæ. Ergo adhuc potest credere fide perfectæ alias veritates revelatas, quas esse revelatas agnoscit.

Resp. neg. conseq. Nam homo formaliter hæreticus non vult credere veritatem revelatam; circa quam errat, quamvis sufficienter propositam ut revelatam, & ita non vult illam credere, quia non vult agnoscere illam esse revelatam, quamvis sufficienter proponatur ut revelata. Unde rejicit revelationem divinam sufficienter propositam, sicque magnam facit injuriam authoritati divinæ: quod stare non potest cum pio affectu se in omnibus subjicendi authoritati divinæ, sufficienter propositæ, & consequenter nunquam rejicendi authoritatem divinam sufficienter propositam; qui tamen affectus ad fidem perfectam essentialiter requiritur, ut declaratum est.

Quòd autem homo formaliter hæreticus gravem authoritati divinæ injuriam faciat, nolendo credere veritatem revelatam, quia præcisè non vult agnoscere esse revelatam in concursu sufficientis propositionis illius ut revelatæ, manifestum est ex eo quòd autoritas divina postulat non solum ut revelatio divina sufficienter proposita, censetur esse summè infallibilis, & consequenter digna assensu appetitivè firmissimo; sed etiam ut agnoscat esse sufficienter proposita; sic ut meritò censetur violari summa Dei in testificando autoritas, & contemni ejus revelatio, si propter illam non creditur, sive quia non censetur esse infallibilis & fide digna, sive quia non admittitur ut sufficienter proposita in concursu sufficientis propositionis illius.

Obj. 2. Qui ex catholico sit hæreticus, pertinaciter dissentiendo quibusdam articulis sibi sufficienter propositis, adhuc credit alios articulos veros eodem modo, quo antea illos credebat. Ergo adhuc habet fidem perfectam circa illos, & consequenter fides perfectæ stare potest cum hæresi formali.

Resp. nego ant. Quia alios illos articulos vel non credit amplius propter authoritatem Dei revelantis, sed propter authoritatem humanam, aut aliud aliquod motivum ab autoritate divina distinctum (quod puto communiter contingere omnibus hæreticis:) vel si credit propter authoritatem Dei loquentis, non credit præcisè propter illam, hoc est, propter illam immediatè & propter se, assensu sibi proportionato creditam, sed propter illam, ut creditam propter authoritatem hominis, aut quodcumque aliud motivum; ut dicit S. Thomas quest. 5. art. 3. ad 1. Dicendum, inquit, quòd alios articulos fidei, de quibus hæreticus non errat, non tenet eodem modo, sicut tenet eos fideles, scilicet simpliciter inherendo primæ veritati, ad quod indiget homo adjuvari per habitum fidei; sed tenet ea que sunt fidei, propria voluntate & iudicio. Vel denique si credit præcisè propter authoritatem Dei revelantis, quod non potest sine adju-

torio

